

hibeat sed tabernaculum accensis luminibus patefaciat, ut ea imbrum vi imminente rogationes et preces a Clero populoque coram Domino religiose fiant." Quod confirmatum noscitur in tertia synodo provinciali coacta subsequenti anno 1573: „Cum nimbi, procellae, turbines aut grandines impendent, ne sacerdos ad tempestatis procellam arcendam vasculum adhibeat in quo SS. Eucharistiae Sacramentum asservatur, sed tabernaculum, ubi illud in altare reconditur, patefaciat, licet; tumque in ejus conspectu litanias aliasque religiosas preces ejus rei causa institutas pie sancteque pronunciet." Consonat his rituale Ebroicense anno 1606 a magno Cardinali de Perron compositum. Perpicuum itaque est sistema a s. Carolo Borromaeo, veluti in universa dioecesi provinciaque sua stabilitum, quodque merito pro caeteris locis haberi potest tanquam regula *in vi directiva*, cum ex aliquo tempestatum, grandinum fulminumque inopinato casu, supplices ad Deum libet confugere. Aperiendum namque est, uti praenotavimus, tabernaculum, Sacramentum intra pixidem relinquendum, pia fundendae preces, ut divinam nobis opem imploremus. Si autem Sacramentum non debet a tabernaculo educi, facile intelligitur, in designatis casibus non esse illud afferendum ad Ecclesiae januam, nec cum eodem benedictionem impertiendam.

§. 14. *Loquuntur quidem mox supra alatae auctoritates de turbinum procellarumque casu, quin suspicari possimus, audere quemquam excipere, eas minime congruere incendiis;* par omnium quippe ratio est: et quoties, ut aliorum subtilibus levibusque cavillationibus fieret satis, exquiri Synodi vellent ac Ritualia conceptis verbis loquentia de incendiis casu, sat erit manum protendere ad *Synodum Archi-*

*episcopi* parisiensis habitam anno 1674 art. 7. cap. 2., in qua disertis verbis cavetur, *ne SS. Eucharistiae Sacramentum quacunque de causa unquam ad incendia afferatur*, indicta in sacerdotem, qui deliquisset, suspensionis poena, et ad Rituale Argentoratensis Ecclesiae evulgatum a bonae mem. Cardinali de Rohan impressumque anno 1742, ubi pag. 83. sequentia annotantur verba: „Prohibitum est insuper (sermo est de Sacramento altaris) ne ad extinguenda incendia deferatur et quidem sub poena suspensionis a Ministris deferentibus ipso facto incurrenda; scriptum est: Non tentabis dominum Deum tuum. Qui dixit mari: usque hoc venies . . . et hic confringes tumentes fluctus tuos, potest et impetum ignis refranare. Quandoque autem, sicut potens, sic et justus, mala quaedam permittit; et quia, num facile sit placabilis, ignoramus, vitandum illud omne, quod et quorumdam Christianorum fidem infirmare posset et nostrorum honorem Mysteriorum malignis infidelium aut haeticorum irrisionibus exponere." Qui temporalia a Deo exposcit, pavibus debet eadem rogare divinaeque voluntati se omnino committere: „Quando petitis temporalia, cum modo petite, cum timore petite, illi committite, ut, si prosint, det; si scit obesse, non det. Quid autem obsit, quid prosit, medicus novit, non aegrotus, inquit s. Augustinus in serm. 354 alias 53 de verbis Domini cap. 7. Cum saeviunt infortunia, homines plerumque Deum, quomodo oporteret, non orant: liberari se appetunt nihilque praetera curant: cumque caeteroquin pietate ac devotione erga Sacramentum Altaris exardescant, videntes educi illud e tabernaculo post recitatas preces, afferri ad Ecclesiae januam eodemque adhibito per Sacerdotem benedicti ad eam regionem, unde erupunt turbines et procellae, vel ad

*eam, in qua furit incendium; impletur fiducia quadam certaue spe, ad exitum jam pertigisse calamitates suas, et si id haud fiat, sicuti ex justo Dei judicio pluries reipsa non contingit, magnum exinde subest periculum, ne labefactetur vel tepescat fervens illa devotio erga Augustissimum Altaris Sacramentum, misso interea facto altero periculo irrisionum ab incredulis.* Atque hae profecto animadversiones fecerunt, ut a solertissimis Episcopis statueretur, ne pixis et tabernaculo educatur, ne exportetur ab Ecclesia neve cum ea in Ecclesia vel extra Ecclesiam ad tempestates aut incendia benedicatur.

§. 15. *Haud absimilis est obsessorum exorcizandorum species;* in Rituali siquidem permittuntur sanctorum Reliquiae, opportunis adhibitis cautelis, eorum capitibus pectoribusque imponi. „Reliquiae quoque sanctorum, ubi haberi possint, decenter ac tuto colligatae et coopertae, ad pectus vel ad caput obsessi reverenter admoveantur." Non tamen licet ad caput eorum vel pectus sacram admoveere Eucharistiam ob irreverentiae periculum; „SS. vero Eucharistiae super caput obsessi aut aliter ejus corpori non admoveatur ob irreverentiae periculum." Et in vita s. Bernardi in chronicis belgicis Molineti et in catalogo belgico Bernardi a Luxemburgo lit. G. haud desiderantur exempla sanctorum virorum, qui tale quidpiam praestitere, atque ita ab obsessis demones ejecerunt: facta enim haec, sicut praediximus, iis accensenda sunt exemplis, quae admiratione quidem non vero imitatione prosequi debeas.

§. 16. Caeteris quibusque Auctoribus *Johannes Baptista Thiers* eruditius doctiusque de hac quaestione disseruit illamque diremit juxta ea, quae hactenus dicta sunt, in suo tractatu de SS. Sacramento 2. part. cap. 12.

et quidquid ibi latius attulit, legitur ab ipso summam resumtum in suo tractatu de superstitionibus tom. 2. cap. 13. Opus Thiertis de Expositione Sacramenti valde commendatum probatumque fuit a pio ac docto Cardinali Bonae, uti nosse licet ex ejus Epistola 321. in tomo hoc ipso anno 1755 cuso, pag. 246. Laudatus Cardinalis in ea epistola inquit, praeclarum se de illo opere fecisse judicium, cum sermonem de eo habuisset cum Patre Luca Dacherio indeque subdit: „Librum optimum esse et pium et ab omnibus viris doctis ac eruditis approbatum. Omnes autem mirantur, quod argumentum per se sterile et hactenus intentatum tanta ubertate tractaveris, ut nihil ei desit, nihil ultra desiderari possit. Audivi rumorem propter illum a quibusdam Parisiis excitatum fuisse, sed protinus sedatum, cum nihil in eo censurae obnoxium sit." Tanti Cardinalis sententiae ipsi subscribimus, sed quoad praesentem quaestionem erudite adeo discussam a Thiers, putamus, deesse nonnulla; quae nisi congrua aliqua interpretatione solvantur, concidit Thiertis assumptio, atque etiam nonnihil concuti possunt, quae hactenus constituta sunt.

§. 17. Hoc maxime Thiers expendit, cum in tot Synodis actum sit ac constitutum, quidquid agi oportet, dum aliquod tempestatis incendiique accidit infortunium, ne unum reperiri quidem suadentem vel permittentem benedictionem Sacramento adhibito: praeterea ex tot ritualibus in sacrarum functionum normam impressis nullum penitus adinveniri consentiens, ut tempestatibus incendiisque, Sacramento adhibito, benedicatur; et si caeteroquin similia non desint ritualia et monumenta benedictionum, quae, adhibitis sanctorum Reliquiis vel Crucis imaginibus, impertiantur: et ex tanto omnium silentio validum elicit argumen-

tum adversus ritum benedicendi, adhibito Sacramento, tempestatibus incendiisve. At si forte nonnulla extarent ritualia, quibus hoc plane suaderetur, ingens concuteretur aedificium omniaque disrupta corruerent.

§. 18. In Sacerdotali Romano pag. 227. a tergo sub tit. de benedictione adversus tempestates sequentia verba adnotata reperiuntur: „Si expediens visum fuerit, Sacerdos accipiat reverenter corpus Domini in vase debito et Ecclesia extens nubes in modum Crucis cum dicto vase signet.“ Et in Rituali Cardinalis Sanctorii pag. 709 sub tit. de Exorcismis contra ingruentes aereas tempestates haec adscripta leguntur verba: „Postea, si expedire visum fuerit, Sacerdos accipiat reverenter et cum luminaribus corpus Domini in calice aut alio vase debito et Ecclesia extens nubes in modum Crucis cum dicto vase signet.“ Auctor Sacerdotalis Romani fuit Pater Albertus Castellani ordinis praedicatorum, qui multo labore illud elucubravat dicavitque Leoni X. Pontifici maximo. Et antequam typis traderetur examinatum emendatumque fuit jussu Pii IV. Pontificis, veluti cognoscere est tom. 2. Scriptorum ordinis praedicatorum Patris Jacobi Echard pag. 48. Alterum Rituale auctorem habuit Cardinalem Sanctorium, s. Severinae nuncupatum, teste Ciacconio in ejus vita tom. 3. pag. 1044. De hoc autem Rituali Cardinalis Sanctorii perhonorifica fit mentio in brevi summi Pontificis Pauli V. incipiente: *Apostolicae Sedis* dato quarto idus Juli 1614 impressoque ad frontem Ritualis Romani ab eodem Paulo Pontifice evulgati; in eo quippe refertur, Cardinales ad novi Ritualis editionem designatos vetera expendisse Ritualia, praesertim vero illud „quod vir singulari pietate, zelo et doctrina, bonae memoriae Julius Antonius S. R. E. Cardinalis sanctae Severinae nuncupatus, longo

studio multaque industria et labore plenissimum composuerat.“

§. 19. His tamen nihil facessentibus stat *Thiertis Assertio praedicata, quippe duo opera publicae auctoritatis pondere destituuntur*. Nos nihil detractum volumus egregio operi Patris Alberti Castellani, sed asserimus, esse privati auctoris opus nullumque extare argumentum, quod illud a Pio IV. Pontifice approbatum demonstratur. Neque id temere aut nulla ratione affirmamus. Agitur in eo opere de Baptismi forma sub conditione ac recensentur peculiare factorum circumstantiae, quando in hujusmodi Sacramento administrando forma sub conditione uti licet, a Sacramento autem Poenitentiae universim haec forma sub conditione rejicitur: *Secus in Sacramento Poenitentiae, quod non licet*. Theologi illi, qui in Sacramento Poenitentiae ministrando locum esse negant formae sub conditione, auctoritate utuntur Sacerdotalis Romani a praefato Religioso compositi, venditantes illud pontificia auctoritate roboratum. At caeteri, quibus forma sub conditione in Poenitentiae Sacramento probatur, fidenter respondent, neque anteacto tempore fuisse unquam demonstratum nec demonstrari nunc posse, enunciatum opus fuisse ab aliquo ex summis Pontificibus approbatum, quod et ipsi expressimus in Nostro opere de Synodo Dioecessana lib. 7. cap. 15. tom. 2 et seq. novissimae editionis romanae jam absolutae et quam primum evulgandae. Praetermittenda nec est consideratio illa, si nimirum opus Patris Castellani approbatum fuisset a Pio IV. Pontifice, sanctum Carolum Borromaeum Pontificis nepotem totoque ejus Pontificatu in ecclesiasticis negotiis maxime versatum haud fuisse permissurum, ut in sua Dioecessana Synodo suaque itidem in Synodo Provinciali postea coactis statueretur, quod noscitur reipsa statu-

tum quodque omnimode adversatur iis, quae in praefato Opere Patris Castellani tradita leguntur.

§. 20. *Hinc ad Rituale Cardinalis Sanctorii gradum facimus*. Celebris Praesul Fontanini, qui paucos librorum peritia sibi pares habuit, in appendice ad catalogum librorum bonae memoriae Cardinalis Imperiali litera S. haec adnotata reliquit: Opus rarissimum, sine principio et fine, impressum sub Paulo V. et jure quidem: egregii quippe hujusce operis impressa folia delitescabant in angulo Vaticanae Bibliothecae; quorum notitia ad Viros sacrorum Rituum studiosos delata impetrarunt hi, ut simul colligerentur, quo eorum exemplum sibi sumere liceret. Tunc vero factum, ut multi ejusdem sibi exemplum comparaverint, quod in suis Bibliothecis condiderunt, cum ante id temporis pauca essent atque rariora exempla, quam quae extabant et nunc etiam extant, unum in Bibliotheca Monasterii s. Crucis in Hierusalem, duo autem in Bibliotheca Collegii Romani, quorum alterum fuit Venerabilis Cardinali Bellarmini, alterum Praesulis Coccini Rotae Auditoris. Uti praenotatum est, asserit Praesul Fontanini, Rituale Cardinalis Sanctorii principio destitutum et fine, idque omnino verum, quemadmodum videre est in exemplis mox supra indicatis. Testatur illud sub Paulo V. impressum, at non meminit, quod illum latuerit fortasse, suppressum fuisse jussu ejusdem Pontificis, dum adhuc sub praelo esset, quemadmodum ab eodem Praesule Coccino sua manu adnotatum legitur in praefato Rituali, in Collegio Romano, uti praedictum est, asservato: *Hoc opus, dum adhuc sub praelo esset, suppressum fuit Romae tempore Pauli V., ideoque caret principio, medio et fine*. Et licet in ejusdem Ritualis exemplis novissime evulgatis ac distributis initium reperiat ac finis, facile tamen

deprehenditur et initium et finem ipsis fuisse, quamvis fortasse parum considerate, superadditum, ne per manus abiret mutilum exemplum, nec caput habens nec pedes.

§. 21. Id vero comprobatur ex titulo sive inscriptione praefatis recentibus exemplaribus praeposita, constat quippe his verbis: Rituale Sacramentorum Romanum Gregorii XIII. Pontificis Maximi jussu editum Romae 1584, in quo facti veritas primum desideratur, cum de imprimendo Rituali Cardinalis Sanctorii cogitatum fuerit tantummodo sub Pontificatu Pauli V., uti mox supra dictum est, nec cusum illud fuerit superstitite auctore, qui e vivis excessit sub annum 1601, Clemente VIII. Pontifice, sed ab ejusdem haeredibus sub Pontificatu Pauli V., quemadmodum mox infra constabit.

§. 22. In praedictis exemplaribus et finis quoque conspicitur; pagina quippe 712 haec leguntur verba: *Ritualis Romani finis*. Qui autem id sibi sumpsit, ut extrema suppleret, mediam partem satis non inspexit, ubi non minus in ipsis in caeteris quibuscumque exemplis desiderantur paginae, quae a 252 ad pag. 257 subsequuntur. Verum quanticumque sit haec animadversio, sermonem omnem colligendo ad finem facili negotio detegitur recens supradditio nonnullorum foliorum, quae non solum ex charta et atramento evincitur, sed ex ipso paginarum numero; postrema quippe exemplaria ad paginam pertinent 712., cum caeteroquin duo vetera exempla, alterum nempe Cardinalis Bellarmini et alterum in Bibliotheca s. Crucis in Hierusalem asservatum, paginam 604 non praetergrediantur, atque etiam Praesulis Coccini pag. 708 completur. Ritus itaque Benedictionis cum SS. Sacramento non nisi in postremis exemplaribus reperitur, cum legatur ipse ad pag. 709. et

caeteroquin vetera inter exemplaria nullum paginam 708 praetergradiatur.

§. 23. Ad absolutissimam notitiam eorum omnium, quae Rituale respiciunt Cardinalis Sanctorii, nihil superest aliud quam inquirere causam, cur fuerit, Paulo V. Pontifice, su dante praelo suppressum. Huic autem investigationi videntur posse cumulate satisfacere ea ipsa, quae caractere Venerabilis Cardinalis Bellarmini adnotata reperiuntur in exemplo Ritualis Cardinalis Sanctorii, quo Bellarminus utebatur, quodque, uti saepius monuimus, extat in Bibliotheca Collegii Romani. Hic liber confectus est a Cardinali sanctae Severinae longo tempore et magno labore et si quidem sub nomine praedicti Cardinali fuisset impressus, dempto illo verbo *Romani* (quod verbum etsi non extaret in libri fronte tunc non impressa, aderat illa tamen in prima Operis pagina: Ritualis Romani liber primus) potuisset libere communicari cum omnibus: sed non placuit iis, ad quos pertinebat, ut cum nomine *Romani* publicaretur; et non placuit haeredi Cardinalis, ut sine nomine *Romani* exiret. Ea causa est, cur hic liber lucem non aspiciat et imperfectus ac mutilus extet in privata Bibliotheca.

§. 24. Est itaque Opus Cardinalis Sanctorii omni comendatione dignum optimoque jure sibi vindicat laudes, quae de eo tum in adnotatione Cardinalis Bellarmini tum et in praememorato Brevi Pauli V. leguntur. Nosque ipsi auctoris laborem et eruditionem saepius admirati non praetermissimus eo uti debitamque laudem in nostris evulgatis operibus ipsi tribuere. At ex superius allatis notitiis fieri nullo modo potest, „ut ipsi vis legis concedatur existimeturque veluti opus a summis Pontificibus approbatum et tanquam Rituale Romanum; *titulus enim hic solummodo convenit Rituali*

*Pauli V. Pontificis*, ad Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos per ipsum directo, ut in posterum tamquam Ecclesiae Romanae Filii ejusdem Ecclesiae omnium Matris et Magistrae auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus utantur et in re tanti momenti, quae catholica Ecclesia et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent“: uti legitur in illius Brevi anni 1614, quo Rituale Romanum confirmat et in quo, licet adnotatae legantur preces recitandae *ad repellendam tempestatem* fiatque mentio sonitus aeris campani signi Crucis atque aspersionis aquae benedictae, nullum tamen omnino fit verbum de Benedictione adhibito Sacramento impertienda.

§. 25. Denique in una librae lance statuatur opus Cardinalis Sanctorii, quod, quantum tandem sint reliquae exceptiones omnes, nunquam dici poterit pontificia auctoritate roboratum, illique in novam oneris accessionem superaddatur alterum opus Patris Castellani, nunquam et ipsum approbationem illam pontificiam consequutum; in altera vero lance ponantur Synodi sancti Caroli Borromaei, quamvis illae, si vim legis consideres, in dioecesi totaque Provincia Mediolanensi solummodo obtineant; haecque omnia si quispiam ponderet, conspiciet illico propendere illam Synodorum lancem, quumque, aliquo hujusmodi casu sese offerente, deliberandum erit, obstrictum se noscet, vi quidem directiva, amplecti quidquid fuit a s. Carolo praefatis in Synodis constitutum. Non indigent profecto praefatae Synodi, ut quidquam illis adjiciatur, ut si quae fieri vellet accessio, in promptu illa quidem esset et facillime comparanda ex aliis Synodis et Ritualibus aliarum Dioecesium, in quibus ex norma in s. Caroli Synodis tradita, statutum cernitur, ut cum incendii periculum sub-

est, aperiatur tabernaculum, Sacramentum relinquatur obiectum, religiosa fiat precum recitatio, nec extrahatur Sacramentum, ac proinde ne cum eodem ad incendia tempestatesque benedicatur.

§. 26. Supra allatae sunt Synodorum auctorumque transalpinorum auctoritates; nunc alias superaddemus ex Italis nostris desumptas. Injuriam sibi faceret is, cui incomperla essent tum eximia virtus Praesulis Gratiani olim Ameriae Episcopi tum ejusdem celeberrimi Synodus habita anno 1595, in cujus capite 109 ita legitur. „Ad arcendas pluvias aut tempestates procellasque, quae forte impendere videbuntur, nemo Sacerdos Pyxidem ipsam cum Sacramento efferat, sed tantum tabernaculum, patefacto ostio, adaperiat et in conspectu Sacramenti, genibus ad terram datis, litanias aliasque preces ejus rei sausa institutas pie sancteque cum populo, qui aderit, aut cum clericis aut etiam solus peragat divinamque benignitatem, ut mala, quae peccata nostra merentur, misericordia sua avertat, religiose precetur.“ Perspecta quoque est praestantia in rebus ad Ritus spectantibus Patris Bartholomaei *Gavanti*, qui composuit *Enchiridion seu Manuale Episcoporum* ad sacras functiones rite dirigendas; in hoc autem verbo *Eucharistia* num. 14 haec scripta reliquit: „Non adhibeatur contra grandinem, puta in valvis Ecclesiae, benedicendo aerem.“ Nec missum faciemus Clericatum, utcumque caeteris recentiorum non exiguum tamen laudem consecutum, in ejus quippe decisione 60 de Eucharistia num. 11 haec leguntur: „At ad benedicendum aerem contra grandinem prohibitum est sacram Eucharistiam exponere in valvis Ecclesiae“.

§. 27. His literis finem imponimus, tum quia aliis obruimur curis tum et quia aestivis caloribus afficimur. Pru-

dens nobis probatur fraternitatis tuae agendi ratio, dum nihil graviter egisti in pium illum Sacerdotem, qui extra Januam Ecclesiae S. Nicolai in carcere Benedictionem super populo et ad incendium est impertitus; valde enim huic casui congruere nobis videntur verba s. Bernardi serm. 40 super cantica, ubi haec scripta reliquit: „Etiam si perperam actum quid deprehendas, nec si judices proximum, magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum.“ Verum cum haud justum aequumve sit, ut, quae sunt minus recte gesta, coniventia invalescant, iteratisque actibus quamdam veluti legitimae spectabilisque consuetudinis speciem obtineant, non solum tibi curae erit, hanc Nostram Epistolam in Cancellaria tua custodiri, verum etiam edictum interposita auctoritate nostra propones, in certam normam eorum, quae, excitato incendio aliquo, praestanda sunt, ut Deo supplicetur juxta ritum s. Romanae Ecclesiae: edictumque ipsum, veluti adamussim, exiges ad ea, quae a s. Carolo noscuntur constituta, quaeque fuerunt a nobis in his Nostris literis fusius exposita. Teque, Ven. frater Noster, ex animo amplectentes Apostolicam Benedictionem tibi peramanter impertimur.

Datum apud s. Mariam majorem die 27. Julii 1755.

(Bull. Bened. XIV. t. IV. p. 196.)

#### 4) Ad Infirmos in Parasceve.

Vd.: *SS. Sacram. euch. (Communio in Parasceve)*; *SS. Viat.* (port. in Parasc.)

#### 5) Ad Infirmos extra Parasceve.

Vd.: *Administr. SS. Sacrament. Non deferatur ad Infirmos adorandi causa*, vd.: *SS. Sacram. euch. (Delatio ad incendium etc., constit. Bened. XIV. §. 12).* *Stola (Administr.*

Sacr. decr. n. 4623); *Stola* (extrema unctio). SS. *Viaticum* (modus); *Indulgent. infirmor. habitual.*

#### 6) Ad obsessos refuta est delat.

Vd.: SS. *Sacram. euch.* (Delatio ad incendium etc., Constit. Bened. XIV. §. 15).

#### 7) In processione.

Vd.: *Instructio Clem. XIV.* n. 15; SS. *Sacrament. euch.* (A celebrante defertur; delatio cui competit?)

#### XII. Detectio capitis.

Vd.: SS. *Sacram. euch.* (capite etc.) *Concionator, Processio, Pileolum* (decr. n. 3303); *Parruca; Birettum.*

Sacerdos celebraturus, dum transit, ante altare, in quo est publice expositum SS. Sacram., post factam adorationem genibus flexis detecto capite, surgens caput operiat et non detecto capite iter prosequatur. n. 1086. die 24. Julii 1638.

Conveniens esset, ut ob reverentiam tanti Sacramenti tam Episcopus quam Canonici et omnes praesentes et in Choro assistentes durante officio starent semper capite detecto et nunquam sederent; quod si ob longitudinem officii praestare non poterunt, non omittant saltem in signum reverentiae detecto capite assistente SSmo super altari divinis officiis assistere. *Caer. Ep.* l. II. c. XXXIII. n. 33.

Latina Ecclesia ac orientales pleraeque venerationis causa prohibent ne Eucharistia cooperto capite celebretur. *At cum in Sinensi eique finitimis regnis detecto capite manere vel operari non sit reverentia et scandalum generet, non devotionem,* Romani pontifices permisere missionariis, cooperto decenti pileo capite celebrare ac Neophytis Eucharistiam recipere quoad usque gens illa ita edocta fuerit, ut ritus romanae Ecclesiae non abhorreat.

(Ex brevi Clem. X. 23. Decembris 1673 et aliis.) Quamobrem non adeo facile damnandi erunt, si qui sint in Oriente patriarchae vel alii, qui cooperto capite sacram eucharistiam celebrent vel distribuunt. Nam in iis deesse potest irreverentia, cum sit res indifferens. Hinc Assem. infert, injuria a Josepho II. damnatos esse Patriarchas nestorianorum, quod cooperto capite Eucharistiam vel celebrent vel recipiant vel administrant. Nam scribit Balsamon lib. 7. juris orient. *Alexandrinum patriarcham rem divinam facere mitra caput obvolutum*, alios vero Orientales operto capite. Et Monachi omnes s. Antonii Abbatis, sive Cophithi sive Abyssini sive Syri Maronitae, *cucullam monasticam in Liturgiae celebratione et in ipsa Eucharistiae consecratione vel perceptione retinent*; ideoque ex praescripto s. Pachomii Abbatis regula 91. eamque regulam refert CC. Assem. diss. de Syr. Nest. pag. 306. part. 2. bibl. orient. Itaque, ubi viget usus celebrandi ac recipiendi eucharistiam detecto capite ex ecclesiae praeepto, id est servandum, a quo praeepto sola Apostolica Sedes dispensare valet; ubi vero contraria vigeat ex majorum traditione consuetudo, nihil est nisi ex Apostolicae Sedis decreto immutandum.

#### Bruxellen.

Archidiaconus de Arras exposuit fuisse alias per hanc S. C. declaratum nullo modo licere concionem habere capite cooperto, quando est expositum SSmum Eucharistiae Sacramentum et nihilominus regulares illarum partium reposito Sacramento in tabernaculo habere concionem capite cooperto supplicat declarari, an conveniat? Et S. C. respondit: Convenire et esse laudabile.

Die 21. Apr. 1653.

(Anal. J. P. 1863 p. 262. n. 1168.)

#### XIII. Distributio.

##### 1) Domestica.

Vd.: SS. *Sacram. euch.* (distributio frequ. quotid., distrib. in oratorio); *Communio frequ.*

SSmum Sacramentum Eucharistiae non debet sumi nisi in ecclesia et domi aliove loco non deferatur, nisi graviter infirmo. Ita notat s. Basilius in epist. ad Caesaream Patriciam, concilium Bracaraense sub Martino Papa I. can. 68., concil. Caesaraugust. can. 3. et Rituale Romanum de Sacram. Euch. in cap. de Comm. paschali: „Domesticam communionem nisi Infirmis deferri esse gravem errorem. In privatis autem Oratoriis servanda sunt summorum pontificum privilegia, si quae adsint; aliter non debent hujuscemodi oratoria permitti“.

(Anal. J. P. 1863 p. 815.)

Communionem domesticam non permittendam nisi ex causa necessitatis, praecipiente apostolo: *Dum convenitis invicem expectate; si quis esurit, domi manducet*“. Cui praeepto apte conformatur Rituale romanum sub titulo de Sacram. euch. cap.: *de communionem infirmorum*“.

S. C. C. 2. Oct. 1677. (*Ibid.* p. 817).

„Non licet communicare domi extra casum necessitatis vel Eucharistiam retinere contra praescriptum Ritualis Romani“. (*Ibid.*) Epistolam scribendam esse a S. C. vel a SSmo, si ei placuerit, omnibus illius provinciae Ordinariis, in qua damnet et ut gravem errorem declarat SSmum Eucharistiae Sacramentum domi sumi et deferri aliis quam graviter infirmis, ex eo quod non debet nisi in ecclesia sumi et domi aliove loco non defertur nisi graviter infirmo. S. Basilius in epistola ad Caesaream Patriciam, concil. Bracaraense sub Martino I. can. 68., conc. Caesaraugustan. can. 3. et rituale romanum de Sacramento Euchar. in cap.: *„de commun. paschali*“. (*Ibid.*)

Omnino interdicendam esse communionem domesticam extra casum necessitatis uti contrariam praeepto apostolico ad Corinth. 1. cap. 11.: *Dum convenitis invicem expectate, si quis esurit, domi manducet*. Ideoque servandum rituale Romanum sub titulo de sacramento Euchar. cap. de communionem infirmor. §. *Potest quidem*, ubi circa finem prohibetur delatio SSmi Sacramenti ad aedes profanas extra casum necessitatis.“

S. C. C. 5. Febr. 1678. (*Ibid.* pag. 822.)

##### 2) Frequens et quotidiana.

Vd.: *Communio frequens*.

Illmi et Rmi Domini. — In Brixien. ecclesia et dioecesi jam abhinc aliquot annos inolevit consuetudo, non paucos utriusque sexus laicos et ideotas et negotiis saecularium admodum implicatos ac etiam conjugatos non solum singulis diebus festivis SSmum Eucharistiae Sacramentum quotidie sumere. Unde evenit, ut minori reverentia nonnulli ad tantum Sacramentum accedant, quo fit ut multi scandalizentur videntes, conjugatos, mercatores et hujus saeculi negotiatores quotidie communicare communem tamen caeterorum hominum vitam ducentes. Hoc etiam communicandi quotidie vehemens desiderium nonnullarum ipsius civitatis monialium corda occupavit, in eisdem monasteriis nonnullae moniales quotidie sumere vellent, aliquae vero diebus tantummodo dominicis et solemnioribus, et haec differentia etiam in spiritualibus rebus solet aliquando inter ipsas moniales simulatas et rixas excitare, cum singularitas monasteriis sit maxime pernicioosa.“

„His incommodis obviare desiderans Episcopus Brixien. diu cogitavit, si posset in aedificationem et non in ruinam modum et terminum tam monialibus,